

OBSERVATIONES EPIGRAPHICAE.

XXXIX. PRINCEPS OFFICII AGENS IN REBUS.

Iacobus Gothofredus, qui labentis rei publicae Romanae notitiam ita fundavit, ut nobis omnibus adhuc sit summus magister, quae de principibus officiorum exposuit¹⁾ ab eo inde tempore ut alia pleraque in enchiridiis repetuntur. Sed vel optimo duce adsumpto passim errari hoc quoque exemplo confirmatur, neque res indigna est quae diligentius consideretur; id enim quod difficillimum fuit tanti imperii administrationem ab una sede contineri et regi, eius rei non minima pars fuit principum institutum licet ad officiales solos pertinens. Nam quod nunc usus ostendit rebus gerendis non raro magis praeesse qui magistratibus parere dicuntur quam ipsos magistratus, id apud Romanos quoque obtinuit; inter officiales autem longe primum locum principes officiorum tenuerunt.

Administratio imperii Diocletiana cum in aliis aequabiliter instituta fuit et ad eandem formam exacta, tum quicumque secundum eam aut civilia negotia administrant, sive per partes imperii, scilicet praefecti praetorio et urbium duarum regiarum, sive per dioceses, scilicet vicarii, sive per provincias, scilicet proconsules praesidesque, aut praesunt rebus militaribus, scilicet per gradus magistri militum, comites, duces, hoc commune habent universi, ut singulis magistratibus qui attribuntur officiales regantur a principe uno²⁾. Contra reliquorum magistratuum officia, magistri officiorum, comitum sacrarum largitionum et rerum privatarum, comitum domesticorum, principem non habent. Princeps ille unde veniat et a quo constituatur si quaeris, quid de ea re disposuerint Diocletianus quique eum proxime secuti sunt, ignoramus, nisi quod praesidium parti principem missum esse a praefecto urbis Romae et imperante Constantino et rursus sub Valentiniano

¹⁾ Praesertim ad C. Th. 8, 4, 10. Eum sequuntur et alii et Bethmann-Hollweg *Civilprocess* 3, 143.

²⁾ Mero calami errore magistro militum per Orientem alteri adscribi principes duos Not. Or. 6. 72 extra dubium est.

primo, denique imperante Gratiano declarat constitutio (C. Th. 1, 6, 8) huius imperatoris data Mediolani d. 22 Nov. a. 382 ad Bassum praefectum urbis haec: *apparitoribus tuis stationes, quas habuere antiquitus, statuimus esse reddendas: igitur pristino more servato ad omnes provincias, quas vel divi Constantini constitutio dederat, vel Probus vir illustris (intellegitur Sex. Petronius Probus praefectus praetorio Italiae a. 368 — c. 375) permissa sibi a patre nostro (Valentiniano I a. 364 — 375) potestate reddiderat, praecelsa sinceritas tua principes destinabit.* Eae provinciae quatenam fuerint cum in coniectura positum sit, non inepte cogitabitur de iis, e quibus appellationes ad praefectum urbi deferebantur, cum praesertim in iis definiendis item admodum leges variarint¹⁾, modo constituentes ad praefectum urbis Romae et rursus Constantinopolitanae appellationes non pertinere, modo illum appellandum esse aut ex Italia sola aut praeterea ex certis provinciis transmarinis, similiterque disponentes de praefecto Romae novae. — Posteriore aetate aliquamdiu ni fallor res ita aequabiliter administrata est, ut magistratus qui imperii partes administrarent principem haberent de suo quisque officio, contra magistratibus dioecesium et provinciarum princeps deputaretur ex schola agentium in rebus, quae parebat magistro officiorum. Coepit id fortasse sub Constantio; nam agentes in rebus quamquam fuerunt iam sub Constantino²⁾, sub filio demum ad eam potentiam videntur crevisse, quam deinceps obtinuerunt; certe cum scripta est Notitia Dignitatum incipiente saeculo quinto, is status obtinuit in partibus Occidentis eundemque antea etiam in Occidente obtinuisse ex ipsa aliquatenus effici potest.

Priore loco quod adseveramus, Notitia Dignitatum eo demonstrat, quod praefectis praetorio, praefectis urbis Romae et Constantinopolis³⁾, magistris militum⁴⁾ princeps additur nude, pariter atque fit in reliquis officialibus, quos constat in suo quemque officio per gradus ascendere. Praeterea neque indicia suppetunt eius loci principes ex agentibus in rebus lectos esse⁵⁾,

¹⁾ Bethmann-Hollweg *Civilprocess* 3 p. 63. 67.

²⁾ Memorantur in lege a. 319 C. Th. 6, 35, 3.

³⁾ Laterculus huius praefecti excidit ex Notitia Orientis; sed adest gemellus in altera Occidentis.

⁴⁾ De magistro equitum per Gallias infra dicitur.

⁵⁾ Non obstat opinor constitutio a. 368 (C. Th. 1, 29, 4), qua constitutione ad id quod paullo ante sanxerant imperatores defensorem civitatis creari posse qui principatum gessisset apud praefectum praetorio vicariumve, additur item eligi licere *qui ex schola agentum in rebus sedi (traditur sedis) culminis vestri (scilicet praefecto praetorio) munere principatus nostro quodammodo nomine paruerint.* Verba haec interpretationis parum certae et sine dubio mendosa spectant opinor ad principes praesides provinciae, qui non inepte dicuntur praefecto praetorio paruisse, cum ipsi praesides sub eo essent. Eadem interpretatio videtur posse admitti item ubi constitutio a. 449 (nov. Valent. III tit. 27, 1, 1) memorat eos qui ex schola agentium in rebus *ad obsequia praefecturae praetorianae post infinita discrimina et consumpta aetatis parte meliore* perveniunt, nec minus in epistulis Cassiodorianis 6, 6: *officium eius (magistri officiorum) tanta genii praerogativa decoratur, ut militiae perfunctus muneribus ornatur nomine principatus miroque modo inter*

nec rerum ordo qui tum fuit recte patitur, ut dignitates illae supra magistrum officiorum eminentes caput officii ab hoc acceperint. Itaque quatenus secundum legum tenorem princeps constituitur (nam definitis singulorum officiorum annis, definito item ordine officiales vere fiebant magis quam creabantur), in hisce officiis constitutus sit necesse est a magistratu cui apparebat.

Principes reliquos quominus constitueret magister officiorum ex schola sibi subdita agentium in rebus, dignitas non impediēbat, cum exceptis supra dictis magistratus omnes ipse praecederet. Favent item ei coniecturae constitutiones, ubicumque eiusmodi principum originem commemorant, hanc ipsam enuntiantes¹⁾. Denique Notitia Dignitatum passim significat principem sumi *de schola agentium in rebus* et cum ad reliquos officiales nulla similis nota usquam adscripta reperiatur, eam electionem principibus propriam esse, reliquos officiales ex ipso officio proficisci non obscure indicat. Nec quisquam opinor dubitasset ad huius generis principes omnes eam originem pertinere, nisi obstare visa esset formula *de eodem officio* passim in Notitia obvia. Eam scilicet viri docti maluerunt ita interpretari, ut his verbis significetur origo ex ipso eo de quo modo agitur officio, quam referre ad praecedentia, ut sic origo principis proxime memorati ad sequentem porrigatur, neque sine causa; nam quibusdam locis aut nulla originis indicatio praecedit²⁾ aut ei quae sequitur parum apta³⁾. Nihilominus interpretatio haec neque verbis recte convenit neque re probabilis est. Primum cum in universum ad locum in officio eminentem ex eiusdem officii locis inferioribus perveniatur, paene ineptum est id enuntiarī, plane non ferendum autem id enuntiarī in principe solo, cum reliquorum cohortaliorum condicio plane eadem sit. Accedit quod principibus magistratuum summorum, quos dubitari non potest vere ex ipsis officiis ad eum locum pervenisse, eiusmodi

praetorianas cohortes et urbanae praefecturae milites rideantur invenisse primatum, a quibus tibi humile soltebatur obsequium, et 11, 35: agentiam in rebus miles officii . . . ideo principis nomen habere promeruit, quia militiae sacramentis ceteros antecellit . . . et ut reverentiam praetorianae sedis extolleret, tunc ad eius venit obsequium quando vocabulum coepit habere praecipuum. Verum est sub dispositione praefecti urbis proprie praesides nullos esse, sed quatenus a praeside praefectus urbis appellatur (v. p. 624), recte opinor eiusmodi praesidis apparitores militibus praefecturae urbanae adnumerantur. Conferendus item Lydus de mag. 2, 10 = 3, 40.

¹⁾ C. Th. 6, 28, 3 a. 386: *agentes in rebus post palmam laboris emeriti principatus honore munerantur.* Idem efficitur ex constitutionibus aliis, ut 6, 28, 2 a. 380; 6, 29, 6 a. 381; 6, 28, 6 a. 399; 6, 28, 7 a. 410; 6, 28, 8 a. 435 et.; item ex Cassiodoro var. 11, 35.

²⁾ Scilicet Or. 20, 10 princeps officii proconsulis Achaiae dicitur esse 'de eodem officio'; magistratus autem qui praecedunt principe carent.

³⁾ Ita Occ. 32, 61 duci Pannoniae secundae datur 'princeps de eodem officio' (eum excipiunt 33, 67 'princeps de eodem officio' ducis Valeriae et 34, 48 'princeps de eodem corpore' ducis Pannoniae primae); item 38, 11 duci Belgicae secundae 'princeps ex eodem corpore', cum ei qui praecedit duci princeps tribuatur 'ex officiis magistrorum militum praesentalium'.

adnotatio nusquam adscribitur. Immo verba eo ducunt peculiarem quandam neque cum reliquis officialibus communem originem principis iis significati. Deinde qui ita interpretantur videant quemnam principum creandorum ordinem efficiant. Scilicet ita de schola agentium in rebus principem acciperent vicarii omnes, proconsules Achaiae et Africae, comes Aegypti, duces plerique; de suo autem officio proconsul Asiae, praesides omnes, comes Isauriae, ex ducibus octo, ut nulla certa lex usque quaque deprehendatur. Deinde praenium quod subiungitur¹⁾ modo 'adorata clementia principali cum insignibus exit transacto biennio', modo 'completa militia adorat protector', aperte idem est, et apte omnino agens in rebus per principatum ad protectoriam dignitatem ascendit (vide supra p. 134); at prior formula coniuncta invenitur cum principe 'agente in rebus', posterior cum principe 'de eodem officio', nec puto quisquam admittet eundem honorem haberi tam principi profecto ex agentibus in rebus quam sumpto ex cohortalium aliquo infimi honoris corpore. Itaque statuendum est formula 'de eodem officio' in Notitia Dignitatum relatione facta ad ea quae praecedunt id ipsum significari quod significant verba 'de schola agentium in rebus' et hoc quoque addendum ad alia multa perturbationis et emendationis indicia per Notitiam dispersa, quod formula 'de eodem officio' tribus locis iam non habet quo apte referatur.

Hoc admissio Notitia Dignitatis Orientis quod ad principem attinet, plane aequabiliter decurrit. Secus est in Occidente: ibi enim magistratus militares provinciarum, scilicet magister equitum per Gallias, comites omnes, duces exceptis tribus Pannoniarum duarum et Valeriae²⁾, principem accipiunt non a magistro officiorum, sed 'ex officiis magistrorum militum praesentalium, uno anno a parte peditum, alio a parte equitum'³⁾. Hanc administrationis mutationem ante a. 398 institutam esse eius anni constitutio declarat⁴⁾, coniunctam verisimiliter cum dominatu Stilichonis; non porrigi eam ad tres ducatus Pannoniae fortasse inde explicandum, quod eas partes eo tempore Gothi tenebant. — Ad magistratus civiles mutatio ea non pervenit. Immo de vicariis, item de proconsule Africae mansit antiqua lex, ut principem acciperent agentem in rebus. Ex praesidibus qui primi nominantur consulares dicuntur accipere principem 'de officio praefecti praetorio Italiae', eos qui excipiunt correctores et praesides reliqui 'ex eodem officio'.

¹⁾ Locos indicat index Seeckii p. 307.

²⁾ Vide p. 625 n. 3. In his formula antiqua consulto videtur retenta esse; contra quarto loco 38, 11 in duce Belgicae secundae remansit non dubio errore. Nam quae obtinebant de reliquis ducibus Germaniarum et Britanniarum, ad hunc quoque pertinerit necesse est.

³⁾ Brevius paullo 29, 7 et deinceps. Bis 28, 23, 36, 7 verba quaedam deficient supplenda omnino ad reliquos locos, nec corrigendum, ut fecit Seeckius.

⁴⁾ C. Th. 1, 7, 3 data a. 398 Sept. 13 ad Stilichonem magistrum militum: *Sicut clarissimis viris comitibus diversarum provinciarum et limitum, ita et viro spectabili comiti per African principes et numerarii ex officio magisteriae potestatis mittantur.* Hac constitutione ordinatio de qua agimus ad Africam prolata est devicto paullo ante Gildone.

Itaque in partibus Occidentis magister officiorum et agentes in rebus tum cum iis principatus militares eriperentur, etiam in civilibus aliquam potestatis imminutionem videntur subiisse. Sed fatendum est quae iam leguntur perturbata esse et fortasse emendata imperfecte. Nam cum Notitia Occidentis duos praefectos praetorio recenseat Italiae et Galliarum, parum credibile est praesidibus vel certe consularibus Galliarum principem missum esse a praefecto praetorio Italiae; nec magis placet, quod vicario septem provinciarum a magistro officiorum princeps datur agens in rebus, praesidibus sub eo vicario constitutis a praefecto praetorio. Sed ultra reprehensionem traditorum nobis non datum est ut procedamus. — Gothorum aetate antiquam ordinationem rediisse et plerosque certe principes ex schola agentium in rebus sub magistro officiorum constituta profectos esse formulae Cassiodorianaе (v. adn. 4) docuerunt.

XL. ORDO SALVTATIONIS SPORTVLARVMQVE SVB IMP.
IVLIANO IN PROVINCIA NVMDIA.

Thamugadensis fori rudera relicta eo fere statu, quo forum illud fuit saeculo quarto medio, cum antea iam et monumenta alia praeclara et *album ordinis* (C.VIII, 2403) protulerint conscriptum circa tempora Iuliani, nuper his addiderunt statuta consularis Numidiae de ordine salutationis et de sportulis iudiciorum plena egregiae et novae plane eruditionis, edita primum ab indefesso veterano explorationum Africanarum A. Poulle (*recueil de Constantine* vol. 22 a. 1882 p. 401; repetivit supra p. 386 Schmidtus). Ea editio cum ad me perlata esset, etsi videbam hunc quoque lapidem solita diligentia exceptum esse neque ullam pleraque offensionem habebant, tamen versus sex (9—14) admodum male habiti non solum ipsi parum intellegebantur, sed etiam universi monumenti natura et condicio propter eum defectum non satis perspiciebatur. Quapropter per litteras Poullium rogavi, ut ectypum mihi conficiendum curaret. Adnuit ille adeoque nuntiavit se ipsum cum fieri posset eius rei causa Thamugadi profecturum esse, et per aliquot menses temporum inclementia retentus, nuper licet ventis et pluviis etiamtum contrariis comite et adiutore Victore Reboud quod promisit summa industria et sollertia perfecit. Ectypis, quae tria Poullius misit, adiutus, quamquam sic quoque hiatus aliquot admodum incommodi remanserunt et in futurum quoque remanebunt (superficies enim lapidis ibi tota decidit), in universum lectionem ut expeditum mihi successit. Grati animi sensum ita profiteor, ut Poullio Reboudioque scio maxime placitum esse: scilicet edo quam primum fieri potuit monumentum recognitum adiecto commentario.

L A A V // // // // T A T E V L P I M A R I S C I A
 N I · V C · C O N S V L A R I S S E X F A S C A L I S
 P R O M O T I P R I M O A D O M I N O N O S T R O
 I N V I C T O P R I N C I P E I V L I A N O O R D O S A n. 361-363
 5 L V T A T I O N I S F A C T V S E T I T A A T P E R P E T V I
 A T I S M E M O R I A M A E R E I N C I S V S P R I M O
 S E N A T O R E S E T C O M I T E S E T E X C O M I T I B V S
 E T A D M I N // // R A T O R E S S E C V N D O P R I N
 C E P S C O R N I C // A P // // // // L A T I N I T E R / I O C O
 10 R O N A T I // // // // I A // // // // O P R O M O T I O F
 I C I A L E S // // // // // // // // C T V S C V M O R D I
 N // N I // // // // // C I A L E S E X O R D I N E I T E M
 Q V A M T // // // // M O D A C O N S E Q V I D E B E A T P R I N
 C E P S A D O F F // // // // I E M I N T R A C I V I T A T E M D A N
 15 D V M I T A L I C // // T R I T I C I M O D I O S Q V I N Q V E
 A V T P R E T I V M F R V M E N T I I N T R A D E C I
 M V M M O D I O S S E P T E M A V T P R E T I V M M O
 D I O R V M S E P T E M E T I A M P E R D E N A M I
 L I A B I N I M O D I V E L E O R V M P R A E T I A
 20 S V B C R E S C A N T S I M I T T E R D V S S I T T R A
 N S M A R E C E N T V M M O D I · V E L M O D I O
 R V M C E N T V M P R A E T I V M S V F F I C I E T
 C O R N I C V L A R I V S E T C O N M E N T A R I E N
 S I S M E D I E T A T E M H V I V S S V M M A E C O M
 25 M O D I N O M I N E C O N S E Q V E N T V R S C O
 L A S T I C I I N P O S T V L A T I O N E S I M P L I C I
 30 Q V I N Q V E M O D I O S T R I T T I C I V E L Q V I N
 Q V E M O D I O R V M P R A E T I A C O N S E Q V E N
 T V R I N C O N T R A D I C T I O N E D E C E M M O D I
 O S T R I T T I C I V E L D E C E M M O D I O R V M P R A E
 T I V M C O N S E Q V A N T V R I N V R G V E N T I
 Q V I F I N I E N D A S I T Q V I N D E C I M O D I O S V E L
 Q V I N D E C I M O D I O R V M P R A E T I A C O N S E
 Q V A N T V R E X C E P T O R E S I N P O S T V L A T I O
 35 N E Q V I N Q V E M O D I O S T R I T T I C I V E L Q V I N
 Q V E M O D I O R V M P R A E T I V M C O N S E Q V A N
 T V R I N C O N T R A D I C T I O N E D V O D E C I M
 D I O S T R I T T I C I V E L D V O D E C I M O D I O R V M
 P R A E T I V M C O N S E Q V A N T V R N D E F I N I T A C A V
 40 S A V I G I N T I M O D I O S T R I T T I C I V E L V I G I N T I
 M O D I O R V M P R A E T I A C O N S E Q V A N T V R C A R
 T A I N P O S T V L A T I O N E S I N G V L I I V M I S V F F I C I
 V N T M A I O R E S I N C O N T R A D I C T I O N I B V S
 Q V A T E R N O S M A I O R E S I N D E F I N I T O N E G O
 45 T I O N V M Q V A M A M P L I V S Q V A M S E X A L I T I

GATORE EXIGI OPORTEBIT LIBELLENSIS IN LI
 BELLO VNO DVOS MODIOS TRITICI VEL DVORVM
 MODIORVM PRETIVM DEBEBIT ACCIPERE OF
 FICIALIS MISSVS INTRA CIVITATE DVOS MO
 50 DIOS TRITICI VEL DVORVM MODI/RVM
 P R E T I V M C O N S E Q V A T V R

Littera *a* semper sic est A. — 6 in. spatium litterae unius vacat, scilicet pictae, non incisae. — 9 utrum LATINI an LATONI in lapide sit, dubitabamus; sed antepaenultimo loco magis cavum est casu factum quam O littera, legitque Poullius quoque in ipso lapide ATINI. — M faber errore pro M. — 10 inter RONATI et O litterae interciderunt fere quattuordecim, quarum septima octavaque mihi esse visae sunt IN, Rossio Gattioque, quibus ectypa diversa praesto fuerunt eaque fortasse meliora, NC; supplet Rossius CORONA*a* *provinciae quart*O. — 13 post QV videor mihi videre reliquias litterae A, deinde post hiatus litterae unius Λ aut A, mox T (hasta certa); nec quicquam repperi quod recte quadraret praeter QVAMTA (non QVANTA) COMMODA. — 37. 38 DVODECIM, DIOS lapis; scilicet cum in exemplari esset DVODECIMODIOS, ut solet qui haec concepit in talibus alteram M omittit, quadratarius eius usus ignarus O litteram praeteriit. — 39 pro IN lapis non N, sed N errore. — 42 SINGVLIVMI lapis; in exemplari videtur fuisse vel certe esse debuisse SINPLICI I, quadratarius autem numerum litteris perscribens locum perturbavisse. — 44 QVATERNOS lapis; apparet III fuisse in exemplari a quadratario item litteris expressum non sine errore.

1. 2 Ex au(ctori)tate Ulpi Mariscia[ni] v(iri) c(larissimi) consularis sexfasca-
 3. 4 lis, | promoti primo a domino nostro | invicto principe Iuliano,
 5. 6 ordo salutationis factus et ita at perpetui[t]atis memoriam aere
 incisus.

Primo

7 | senatores
 et comites
 et ex comitibus
 8 | et admin[ist]ratores.

Secundo

9 prin|ceps,
 cornic[ul]ar[ius],
 [Pa]latini.

Ter[t]io

10 co|ronati

[Quart]o

11. 12 promoti of|ficiales tus cum ordi | . . ni.

[Quinto?]

[off]iciales ex ordine.

13. 14 Item | qu[a]nt[um] [a] com]moda consequi debeat prin|ceps.
 15 Ad off[icia]lem intra civitatem dan[dum] Italic[os] tritici modios quin-
 16 que aut | pretium frumenti;
 17. 18 intra deci]mum modios septem aut pretium mo[diorum] septem.
 19. 20 Etiam per dena mi]llia bini modi vel eorum praetia | suberescant.
 21. 22 Si mitte[n]dus sit tra]ns mare, centum modi vel modio]rum centum
 praetium sufficiet.
 23. 24 | Cornicularius et commentarien]sis medietatem huius summae com-
 25 modi nomine consequentur.
 26. 27 Scolastici in postulatione simplici | quineue modios tritici vel quin-
 28. 29 que modiorum praetia consequen]tur;
 30. 31 in contradictione decem modio]s tritici vel decem modiorum prae]tium
 consequantur;
 32. 33 in arguenti | qu[e] finienda sit, quindecim modios vel | quindecim modiorum
 34 praetia conse]quantur.
 35. 36 Exceptores in postulatio]ne quinque modios tritici vel quin]que mo-
 37 diorum praetium consequan]tur;
 38 in contradictione duodeci m[o]di]os tritici vel duodeci modiorum |
 39 praetium consequantur;
 40. 41 [i]n definita cau]sa viginti modios tritici vel viginti | modiorum praetia
 consequantur.
 42. 43 Car]ta in postulatione si[m]plici singulae] sufficiunt maiores;
 44 in contradictionibus | quatern]ae maiores;
 45. 46 in definito nego]tio numquam amplius quam sex a liti]gatore exigi
 oportebit.
 47. 48 Libellensis in li]bello uno duos modios tritici vel duorum | modiorum
 pretium debeat accipere.
 49. 50 Of]ficialis missus intra civitate duos mo]di]os tritici vel duorum mo-
 51 di]orum | pretium consequatur.

Ulpianus Mariscianus v. c. consularis sexfascialis provinciae Numidiae innouit primum ex titulo Macomadensi C. VIII, 4771: d. n. Fl. Claudio Iuliano p(ri)mo f(elicis) invicto Aug. Ulpianus Mariscianus v. c. cons(ularis) p(ro)vinciae N(umidiae) numini eius dicatissimus offerente ordine. Inter consulares Numidiae sex fascium honore ornatos cum adhuc tempore reliquos praecederet Publius Ceionius Caccina Albinus officio functus a. 364/7, iam cum Mariscianus loco depulsi, primus scilicet, ut est in titulo, quem Iulianus Numidiae consularem fecerit (cuius praedicationis similem legisse me alibi non memini), verisimiliter, ut fata voluerunt, etiam solus, creatus inter a. 361 extremum et 363 medium, praeterea quod sciam ignotus.

Praescriptio quae est *ex auctoritate . . . consularis . . . ordo salutationis factus et ita at perpetuitatis memoriam aere incisus* non ad id quod habemus exemplum pertinet incisum lapide. sed ad archetypum id ex quo hoc descriptum est. Tabulam aeneam dabitari non potest et ipsam publice proposi-

tam fuisse, verisimiliter Cirtae ad tribunal praesidis, inde curante ordine Thamugadensi, sive iussu praesidis sive decreto ipsorum, haec descripta esse et Thamugadi in foro proposita. Quod si quaeris, ad quod genus iussionum haec pertineat, mihi videtur edictis magistratum adnumerari debere vel certe ad ea proxime accedere. Nam ut solebant meliore aetate, ita labente quoque magistratus, maxime antequam inirent, de administratione edixisse intellegitur ex lege Iustiniani quae epitomata superest¹⁾: οἱ τὰ διατάγματα νομίζοντες τῶν μελλόντων ἄρχειν πολιτικὴν ἢ στρατιωτικὴν ἀρχὴν δεκαπέντε μόνους χρυσοῦς ἐκ τῆς ἐπαρχίας νομίζέτωσαν. Iam cum ipsa verba significant ordinem salutationis a Marisciano factum esse et iubente eo publice propositum in tabula aerea, quomodo id perficere potuerit nisi edicendo, equidem non perspicio, quamquam verum est non verba in edictis sollemnia (*ille dicit*) praescripta esse, sed quem eam rem praeses curare iusserat id quod legimus praescripsisse. Sane quae in administratione secuturus erat cum in sportulis litium et advocatorum honorariis constituendis, tum de ordine salutandi quamquam ad officiales potissimum pertinent (id enim etiam de salutatione obtinere vel inde intellegitur, quod propter commissam eo nomine officium potissimum multatur²⁾), item civium omnium intererat nosse; quapropter non sine idonea causa haec et ipse publice proponi iussit et per civitates Numidiae magistratus similiter publicaverunt. Ceterum tantum abest, ut suo arbitrio Mariscianus haec omnia constituisse existimandus sit, ut sine dubio pleraque certe ad ius commune ordinavit, cum praesertim ipse adiciat *at perpetuitatis memoriam* haec incidi.

Olim quod receptum est apud Romanos non promiscue provinciales admittendos esse ad praesides complexu scilicet et osculo salutandos³⁾ et, quod cum ea re coniunctum fuit, ad introductionem in cubiculum eorum concessumque⁴⁾, id postea quoque mansisse constitutiones plures testantur⁵⁾. Quomodo autem quarto saeculo res administrata sit, *ordo salutationis* Thamugadi repertus clara luce illustrat, quamquam ei luci non parum hiatus officiant tenorem praescripti interruptentes neque ullo modo certa ratione explendi; est enim edictum suo genere unicum et inter antiquitatis reliquias sui tantum simile.

¹⁾ C. Inst. 3, 2, 2. Conferantur Ulpianus Dig. 1, 16, 4, 3; Cassiodorus var. 11, 8.

²⁾ C. Th. 6, 18, 1. 6, 25, 5 = C. Inst. 1, 48, 3 et 12, 19, 2. C. Th. 6, 27, 10.

³⁾ Tacitus ann. 15, 31: *ne... Tiridates... complexu provincias obtinentium arceretur foribusque eorum adsisteret*. Vita Severi c. 2: *in legatione* (apud proconsulem Africae) *cum eum quidam municipum suorum Leptitanus praecedentibus fuscibus ut antiquum contubernalem ipse plebeius amplexus esset, justibus eum sub elogio... eiusdem* (scr. eiusmodi) *praekonis cecidit: 'legatum populi Romani homo plebeius temere amplecti noli'*.

⁴⁾ Significat id Tacitus, enuntiant constitutiones (adn. 5).

⁵⁾ C. Th. 6, 23, 1: *in salutandis administratoribus*. 6, 26, 5: *in sacris scriniis nostris militantes ordinarii iudices a salutatione non arceant*. 6, 28, 8: *in salutationibus iudicum concessibusque priores eos... esse praecipimus*. 12, 1, 109: *osculum quoque his in provincia iudicantium et concessus indultus sit*. Cod. Inst. 1, 48, 3. Cf. Gothofredus ad C. Th. 6, 8, 1.

Salutatores admittuntur per gradus, quorum tres certo cognoscuntur, de quarto et quinto minus constat, videntur tamen quinque gradus facti esse. Aliquot gradus homines continent diversae admodum dignitatis ita exaequatos, ut qui eodem gradu essent ab officiali admissionibus praeposito simul ad praesidem introducerentur.

In primo gradu quod primum locum senatores tenent, explicatione non indiget; nude id vocabulum poni, ut comprehendantur clarissimi omnes, legis argumento aptum est, potestque comparari constitutio a. 364 (C. Th. 9, 30, 1) de simili privilegio data: *exceptis senatoribus atque honoratis, sed et his qui provincias administrant.*

Qui sequuntur *comites*, intelleguntur omnino praesertim loci inferioris, cum comites primi ordinis senatoribus comprehendantur. Comitiva autem secundi tertiique ordinis ad quasnam administrationes iure pertinuerit si quaeris, respondebimus secundum constitutionem a. 397 (C. Th. 6, 14, 2) inter comites rei militaris fuisse primo ordine inferiores, qui sunt sine dubio *comites minores* (C. Th. 7, 11, 1 a. 406) sive *inferiores* (C. Th. 7, 11, 2 a. 417) cum tribunis simul nominati¹⁾. Praeterea *comitibus secundi ordinis vel cubiculariis* cum quoddam privilegium tribuatur (C. Th. 6, 27, 8 a. 396), iure inde colligimus eam comitivam cubiculariis omnibus concessam esse. Item proximis scriniorum lege a. 416 (C. Th. 6, 26, 17), cum antea tertiae comitivae gradu essent, secundi ordinis codicilli concessi sunt, indeque et his et comitibus dispositionum pro novo gradu vestis attributa (C. Th. 6, 26, 18 a. 426). In universum denique in lege a. 412²⁾ inter eos, qui a tironum praebitione excusantur, recensentur post honores maiores proximi scriniorum (quos modo vidimus eo tempore comitivam tertii gradus habuisse) et scrinia, comites dispositionum, decuriones (aulici), magister admissionum *et ceterae similes comitum laboribus nostris sociae dignitates*. Haec quamquam ad Iuliani aetatem non omnia perveniunt, satis declarant, a quibusnam comitibus Mariscianus una cum senatoribus saluari voluerit.

Sequuntur *ex comitibus* qui dicuntur sive comites honorarii. Ita secundum legem a. 371 (C. Th. 12, 1, 75), huic igitur decreto fere aequalem, sacerdoti provinciae et principali curiae muneribus expeditis *honor ex comitibus* additur, *quem ii consequi solent qui fidem diligentiamque suam in administrandis rebus publicis approbarint*. Tertii gradus comitivam intellegi ut ipsa constitutio significat gradu non adiecto, ita alia enuntiat: *quicumque decursis . . . officii primum obtinuerit in sua curia . . . locum, comitivae tertii*

¹⁾ Etiam in regno Theoderici qui singulis civitatibus praeponuntur, comitivam secundi ordinis accipiunt (Cassiodorius var. 7, 26; cf. Hegel *Geschichte der Städteverfassung von Italien* 1, 122). Sed horum institutorum quatenam vere Romana sint ad Gothos translata, quatenam origine Germana Romano vocabulo appellata, neque facile dictum est et ab hac nostra disputatione alienum.

²⁾ C. Th. 11, 18, 1. Conferenda constitutio Valentiniani III (nov. 6, 3, 1): *tribunos vacantes sive comites secundi vel tertii ordinis omnesque clarissimos tertiam partem tironis agnoscere (oportet)*.

*ordinis habeat dignitatem*¹⁾. Comites hi honorarii aliquoties memorantur, ut in lege a. 395 (C. Th. 12, 1, 150): *curiales qui honorariam adepti sunt comitivam*, et similiter atque hic factum est opponuntur ipsis comitibus a Constantio a. 353 ordini Carthaginensium sic rescribente (C. Th. 12, 1, 41): *ex comitibus et ex praesidibus univarsi ceterique, qui sine administratione adumbratarum dignitatum codicillos honorarios meruerint . . . fungantur oneribus et honoribus univarsis*. Constitutio a. 385 (C. Th. 12, 1, 109) etiam agonesia perfunctis promittit, ut *in perpetuum ex comitibus dignitate laentur*; sequuntur quae supra rettuli de iure osculi et consessus. Appellatio *ex comite* vel, ut hac aetate frequentius dicitur, *ex comitibus* (vide supra p. 129). quamquam etiam comiti convenit qui administrare desiit, hac aetate tamquam propria fuit comitis honorarii, et ita omnino usurpatur in titulo Thamugadensi. — Id ipsum etiam ad tribunos pertinere et in summa ad honores militares omnes neque tamen ad civiles in commentariolo de protectoribus (supra p. 129 seq.) nuper demonstravi.

Duo comitum genera tam qui in administratione et propter administrationem comitivam accipiebant quam honorariis codicillis creati hac aetate plerumque comprehenduntur vocabulo honoratorum, de quo quae tradita habemus, admirabili doctrina composuit Gothofredus ad C. Th. 1, 8, 1 suae editionis. Adlegabitur solummodo constitutio a. 401 (C. Th. 1, 15, 16) utpote ad nostrum argumentum proprie spectans: *nullum penitus honoratorum publica salutatione sine chlamydis indumento vicariam potestatem adire oportet*.

Sequitur in primo gradu quartus ordo *administratorum*, quo vocabulo quid hoc loco proprie significetur, ambigi potest. Administrant certe quicumque publicum officium gerunt, praeses provinciae et rationalis summarum et sic deinceps, videturque vocabulo administratoris recte opponi alterum officialis, ut ille publica negotia gerat, hic gerenti pareat et appareat. Sed eius dignitatis administratores hic si significantur, vix intellegi potest, cur vocabulum adiectum sit; hi enim administratores comprehenduntur omnes aut senatoribus aut certe comitibus. Neque obliviscendum est, cum agatur de salutando praeside Numidiae, salutatores potissimum quaerendos esse inter provinciales ei subditos et hoc loco administratores recte intellegi eos praesertim, qui sub ipso administrant. Ita ducimur ad magistratus municipales, quippe quos constet et ipsos administravisse et suos habuisse officiales. Etiam in titulo codicis Theodosiani 'de iis quae administrantibus vel officium publicum gerentibus distracta vel donata sunt' quae sanciantur, vel ad pagorum praepositos trahuntur (C. Th. 8, 15, 1), et modo vidimus ex comitibus honorem sacerdoti provinciae et principali curiae tribui solere propter rem publicam recte administratam. Principalis autem curiae si administratione recte finita primo gradu vocatur propter comitivam, admodum probabile est id quod sequitur pertinere ad eundem etiamtum administrantem; nec facile abesse possunt ab eiusmodi ordine salutandi civitatum Numidicarum vel universae provinciae qui res gerunt sub consulari. Ii quinam eo tempore fuerint, hoc

¹⁾ C. Th. 12, 1, 127 anni 392. Similia disponuntur C. Th. 14, 4, 9. 10.

loco non quaeremus¹⁾; cogitandum erit potissimum de curatoribus rerum publicarum, quos constat hac aetate certe in provinciis Africanis magistratum municipalium locum obtinuisse et suae quemque civitatis negotia administrasse.

Secundo gradu salutant praesidem primum officiales ipsius primores. Scilicet cum praeses provinciae officium habeat, secundum Notitiam Dignitatum²⁾, hoc: 1. principem; 2. cornicularium; 3. commentariensem; 4. adiutorem; 5. numerarium; 6. ab actis; 7. a libellis; 8. exceptores; 9. ceteros cohortalinos, hoc gradu vocantur primi duo princeps et cornicularius.

Simul vocantur Palatini; aliter enim hiatus expleri nequit. Officialium scilicet duo genera sunt magistratum maiorum, quorum potestas non continetur unius provinciae finibus, et praesidum provinciarum; hi cohortalini appellari solent, illi Palatini³⁾; et habet rationem Palatinos omnes admissos esse una cum primatibus duobus cohortalinatorum.

Tertia vice qui introducuntur *coronati*, de iis difficile est statuere, cum quae sequebantur in lapide oblitterata sint. Videntur tamen redire in constitutione a. 407 (C. Th. 16, 2, 38) emissa ad proconsulem Africae, ut ita satisfaceret precibus episcoporum eo ipso anno Carthagine congregatorum, quae sunt haec (coll. concil. ed. Mansi tom. 3 p. 802 = tom. 4 p. 502): *placuit . . . ut petant ex nomine provinciarum omnium legati . . . a gloriosissimis imperatoribus, ut dent facultatem defensores constituendi scholasticos qui in actu sunt vel in munere defensionis causarum, ut more sacerdotum provinciae iidem ipsi, qui defensionem ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis ecclesiarum . . . ingredi iudicum secretaria*. Adnuunt imperatores: *(ecclesiis et clericis) hoc . . . praecipuum et singulare deferimus, ut quaecumque de nobis ad ecclesiam tantum pertinentia specialiter fuerint impetrata, non per coronatos, sed ab advocatis, eorum arbitrati, et iudicibus innotescant et sortiantur effectum. Sacerdotes vero provinciae erunt solliciti, ne sub hac scilicet privilegii evocatione etiam contra eorum utilitatem aliquid his inferatur incommodi*. Inde iure colligemus ante eam legem datam qui ecclesiae nomine quiddam a praeside peteret, per coronatum rem ad praesidem detulisse, iam vero lata ea advocatum ecclesiae defensorem constitutum non interveniente coronato cum

¹⁾ Videantur quae exposuimus Marquardt *Staatsverwaltung* (ed. 2) vol. 1 p. 164 et ego interpretans album ordinis Thanugadensis (in hac Eph. vol. 3 p. 79 seq.) huic edicto aequale.

²⁾ Secutus sum schema Or. c. XLIII. XLIV (nisi quod c. XLIV, errore librarii ut videtur, deficit qui est a libellis). In altero Occ. c. XLIII. XLIV tertio loco nominantur *tabularii duo*, cum deficiat quinto numerarius, et pro qui est a libellis ponitur *subabiura*. Praeterea c. XLIII, errore omnino, adiutor praecedat commentariensem.

³⁾ De re nota sufficit remittere ad Gothofredi paratitlon C. Th. 6, 30. Verum est Palatinos potissimum intellegi officiales comitum sacrarum largitionum et rerum privatarumque itemque castrensis sacri palatii: utrum is qui ordinem salutationis scripsit de illis potissimum cogitarit, quos saepissime in provinciis versatos esse notum est, an etiam officiales praefectorum praetorio, qui proprie sunt praefectiani, et comitum ducumque rei militaris latiore sensu Palatinos vocarit, definiiri non potest.

praeside agere potuisse. At quinam hic intellegantur coronati, non magis exploratum est¹⁾. Cogitaram de sacerdotibus provinciarum tertio quartoque saeculo coronatorum vocabulo usis²⁾; sed deterrebant obstaculo gravia. Primum cum in Africa tam constitutiones actaque ecclesiastica quam lapides saepissime provinciaram sacerdotes nomen, ex ea coronatum testatum non habemus. Deinde preces et constitutio supra prolatae advocatos ecclesiarum Christianorum ut exaequant sacerdotibus provinciarum paganis, ita nequaquam innunt ante eam legem latam Christianorum desideria a sacerdote provinciae ad praesidem delata esse; immo ita nominantur in lege primum coronati, deinde sacerdotes provinciarum, ut vix credas utroque vocabulo eodem significari. Sed aliter censet quem de ea re consului Rossius: *mi sembra, inquit ille, che prima del rescritto del 407 gli interessi della chiesa dinanzi di giudici dovevano essere o trattati o almeno introdotti in giudizio dai coronati, come incaricati di tutte le vertenze di cose spettanti alla cura rerum sacrarum. Per quanto ciò paja strano rispetto alla chiesa, mi sembra risultare dal confronto predetto; e poi non si dimentichi, che i sacerdoti nel tempo del rescritto imperiale citato avevano in gran parte perduto il carattere religioso, conservando solo quello degli interessi e di pubblico ufficio; che i Cristiani non rifuggirono dall' onorarsi del titolo sacerdotales, con tutto quello che ho spiegato nel Bullettino crist. 1878 a proposito del R(amen) p(er)p(etuus) Christianus di Ammaedara (C. VIII, 10516). Mi conferma nell' interpretazione la convenienza, che i sacerdotales non sieno dimenticati nell' ordo salutationis africano; e se non stanno nell' articolo terzo, sono fuori di esso. Haec quae ad me scripsit amicus quamquam scrupulos supra propositos non omnino sustulerunt, tamen meliora quae proponam non habeo et in hac explicatione adquiescendum esse existimo. Admissa ea extremo capite legis imperatores hoc significant Christianis in posterum quoque licere per sacerdotem provinciae cum praeside agere neque propterea, quod iam per advocatum eum adire possunt, sacerdotem provinciae auxilium suum iis recte negare.*

Ea quoque quae sequuntur sic ut lacera iacent certam interpretationem non recipiunt. *Promoti officiales*, si quidem recte haec duo vocabula coniunguntur, aut intellegantur qui primum salutant promotione accepta aut certum quoddam genus officialium hoc vocabulo significatur. Huic opinioni patrocinantur quas Alfenio Ceonio Iuliano Camenio consulari Numidiae defuncto a. aetatis XLII a. 385 (vide supra p. 542 n. 1238) officiales ipsius Romae dedicaverunt duae bases gemellae. Earum alteram (C. VI, 1675) posuerunt .. *Gentilis p(rinceps), M(arcus?) Restutus cornicularius cum cartularis officii*, alteram nuperrime repertam neque editam, mihi autem missam a Rudolfo

¹⁾ Clericus coronatus huius constitutionis esse non potest, nec verum est hac aetate clericos eo vocabulo sic appellatos esse.

²⁾ *Sacerdos arae Aug(usti) u(ostri) coronatus Dac(iarum) III* reperitur in titulo Sarnizegetusensi C. III, 1433 aetatis Gordianae, *coronatus Tusc(iae) et Umb(riae)* in Hispellate Orell. 3866 aetatis Constantinianae. Causam appellandi aperit decretum Baianum C. X, 3698.

Lanciani, *Ianuaris IIIIDIVS et IIIIIII promoti cum [c]ollegis IIIIIII officii. Sed certi quiddam ne ex hac quidem efficitur. — Minus dubitationi obnoxium est, quod postremi omnium salutant [offi]ciales ex ordine.*

Sequitur edictum alterum, quo quae de ordine iudiciorum saeculi quarti noramus non uno nomine augmentum accipiunt. Agit enim de iis quae partes litis causa praestare debent, id est de commodis¹⁾ sive sportulis officialium et similium personarum. Quos abusus hoc edictum respiciat, in universum declarat lex aequalis fere, anni scilicet 370, C. Th. 1, 29, 5, *forensis iurgii fraudes recensens, dum aut avarior instruitur advocatus aut obse[sor] liminis²⁾ maioribus princeps praemiis exoratur, dum acta ab exceptoribus distrahuntur, dum commodi nomine amplius ab eo qui vicerit intercessor (= executor; cf. C. Iust. 1, 40, 8) exposcit quam redditurus est ille qui fuerit superatus. Nam omnes hi, advocati, princeps, exceptores, executor redeunt in edicto Marisciani. Agitur autem in eo de emolumentis praestandis his personis:*

1. principi (v. 13—22)
2. corniculario (v. 23—25)
3. commentariensi (v. 23—25)
4. scholasticis (v. 25—34)
5. exceptoribus (v. 34—46)
6. libellensi (v. 46—48)
7. officiali executori (v. 48—51).

Ex his qui singulari numero efferuntur officiales sunt, non officiales tam scholastici, id est advocati³⁾, quam exceptores. Advocati enim ex publico salarium vel, ut huius aetatis loquendi usum sequamur, annonam nullo tempore accipiebant, nec magis hac quidem aetate accipiebant exceptores⁴⁾;

¹⁾ Athalaricus apud Cassiodorium var. 9, 14: *si vestra conveniunt decreta pulsatos, tantum commodi percipiat executor, quantum gloriosus domnus avus noster pro honoribus personarum debere saiones accipere expressa quantitate constituit: commodum enim esse debet cum modo. Sportularum vocabulum post Iuliani tempora demum ita coeptum videtur esse usurpati.*

²⁾ *obse[s] III liminis* codex secundum Kruegerum (in actis maioribus acad. Berol. a. 1879 p. 20); supplevi ita ut significetur princeps a litigatore propter ingressum ad praesidem sportulas exigens. Mox et post *distrahuntur* sustuli.

³⁾ Bethmann-Hollweg *Civilprocess* 3 p. 162.

⁴⁾ C. Th. 8, 7, 17 anni 385: *Exceptores omnes iudicibus obsequentes qui nec militiam sustinent neque a fisco ullas consequuntur annonas . . . navare coeptis operam etiamsi decuriones sint minime prohibemus. Mox condicionem mutarunt enumerati iam in Notitia Dignitatum inter officiales. Ita rem explicat Bethmann-Hollweg *Civilprocess* 3 p. 154, fortasse recte. Videndum tamen, annon in iudiciis duo fuerint genera exceptorum, alterum occupatum in actis publicis et admissum ad annonas, alterum quod partibus quae eorum intererat habere ex actis suppeditaret mercede accepta; si ita erat, hoc loco hoc intellegitur.*

sed utrique pariter atque officialium serinia ad certum numerum publice creati et disciplinae praesidis similiter subiecti recte officialibus adiunguntur. Ita in lege a. 344 directa ad vicarium Africae (C. Th. 8, 10, 2) sic est: *praeter sollemnes et canonicas pensationes multa a provincialibus Afris indignissime postulantur ab officialibus et scholasticis*. Commoda autem litis cum a partibus tam exceptoribus et advocatis praestentur quam officialibus quibusdam, de utrisque similiter edici potuit. — Officialium quatenus memorantur ordo convenit cum forma, quam proponit Notitia dignitatum (supra p. 634).

Advocatorum honoraria dudum ante haec tempora legitime admissa esse notum est; apparitoribus ut partes pro opera quiddam solverent adhuc statuerunt viri docti medio demum saeculo quinto receptum esse¹⁾. Iam vero non solum discimus aliquas eiusmodi praestationes certe saeculo quarto medio legitime obtinuisse, sed etiam quaenam eae fuerint aliquatenus intellegimus.

Causa sportularum diversa est; scilicet tria capita officii, item officialis executor remunerationem accipiunt pro eo quod mittunt mittunturve, contra scholasticus exceptor libellensis eo nomine quod operam navant orans ille, hi scribentes.

Prius sportularum genus quamquam sine dubio ad omnia itinera pertinet officiali praesidis propter litem privatam intra vel extra civitatem iniuncta, id quod multis ex causis evenire potest, duas res potissimum complectitur, petitionem reo insinuandam²⁾ et appellationem ad iudicem maiorem imperatoremve transmittendam; hanc adeo aperte significant quae leguntur v. 20 de officiali mittendo trans mare³⁾. Res autem ita perficitur, ut princeps executorem aliquo ire iubeat; nam *nemo officialium, imperatores aiunt⁴⁾, in manus aliquod nisi principe imperante mittatur*. Cornicularius quoque ut post principem secundus est, ita in executore mittendo eius aliquae partes esse potuerunt⁵⁾. Contra de commentariensi aliter videtur statuendum esse, cum causas civiles, de quibus hic agitur, is non tractet⁶⁾. Omnino spor-

¹⁾ Bethmann-Hollweg *Civilprocess* 1 p. 159. 3 p. 200. Quod tradi solet Constantinum Magnum sportulas omnes vetuisse, ex constitutione a. 331 C. Th. 1, 16, 7 non recte effecerunt; nam etsi apparitori eo tempore non licuit pecuniam exigere pro ingressu ad praesidem nec magis propter tradendam sententiam a praeside datam, inde non sequitur nullas omnino sportulas eo tempore exactas esse. Neutrum sportularum genus Iuliani aetate licitum fuisse ex hoc edicto iure colligemus: postea utrumque admissum est.

²⁾ Res nota. Bethmann-Hollweg 3 p. 201.

³⁾ C. Th. 11, 30, 29 a. 362 ad vicarium urbis: *appellationes . . . cum refutatoriis precibus . . . ad nostrum comitatum mittantur strenuo videlicet officiali ex his qui tibi parent ad hanc sollicitudinem electo, ita ut . . . dies quo querulis gesta tradantur fideliter designentur*. Cf. l. 31 eiusdem tituli et 8, 11, 4.

⁴⁾ C. Th. 6, 28, 1 a. 379. Idem constituitur l. 3. 4.

⁵⁾ Bethmann-Hollweg l. c. p. 145.

⁶⁾ Idem l. c. p. 147.

tulae tribus his officii primatibus¹⁾ magis solvuntur propter locum quem tenent quam propter operam quam impendant. — Ad hos accedit executor ipse (v. 48 seq.). — Sportulae autem sic dividuntur, ut pro simplici itinere facto intra civitatem, in qua iudicium redditur, principi solvatur pretium modiorum tritici quinque, corniculario pretium modiorum duorum semis, commentariensi tantundem, executori modiorum duorum. Augentur sportulae pariter atque itineris spatia crescunt, ut per dena milia bini modii principi, singuli corniculario et commentariensi adiciantur; denique pro itinere trans mare suscepto princeps centum modios accipiat, duo primates sequentes dimidium. Executori quoque simile augmentum attributum esse aucto labore verisimile est, sed id caput aut neglegenter omissum est aut legebatur in lapide alio hodie deperdito. — Haec utilissima sunt ad sportularum litis primordia cognoscenda; adhuc quae de ea re habebamus commodorum quidem maxime principis mentionem iniiciunt²⁾ et hoc quoque monstrant sportulas inter diversa officialium genera distributa esse³⁾, sed accurata et plena rei notitia destituebamur, quoniam quae de sportulis postea latae sunt leges potiores perierunt. Quod postea obtinuit, ut ad litis summam sportulae crescerent, exempli causa ut ad centum solidos usque dimidium solidum executor acciperet, propter maiorem summam sportulas maiores⁴⁾, Iuliani tempore apparet nondum receptum fuisse.

Scholasticis sive advocatis et exceptoribus, item pro charta quae solvenda sunt, pendent a genere actionis; distinguuntur enim tria *postulatio simplex* (v. 26 et fortasse v. 42) sive *postulatio nude* (v. 34); *contradictio* (v. 29. 37. 43); accedit in scholastico (causa) *in urgenti quae finienda sit* (v. 31), in exceptore et chartario nomine *causa definita* (v. 31) sive *definitum negotium* (v. 44).

Postulationem simplicem⁵⁾ quod ita videmus fieri apud acta (id enim

¹⁾ Similiter secundum legem a. 409 C. Th. 16, 5, 46 officium iudicis (id est praesidis) plectitur viginti libris auri *punitis tribus primatibus*. Cf. Cod. Inst. 1, 51, 8. 12, 19, 2. 12, 59, 10 pr.

²⁾ Gothofredus ad C. Th. 6, 28, 3.

³⁾ Perturbata sunt ut reliqua omnia eius etiam quae de sportulis tradit Iohannes Lydus de mag. 3, 24. Secundum eum pertinet ad principem ή τών μουσερῶν έντυχιῶν εισαγωγῆ, quibus ex sportulis corniculario singulis mensibus singulas auri libras solvit, item reliquis officialibus quibus in eas ius est partes suas tribuit (πάσι τοις εκ τάξεως κατά συνήθειαν λαμβάνουσι μοῖραν τινα τών πόρων . . διδόναι τὰ εἰσθότα). Cornicularii autem est μετά τήν εκ τού βασιμῶς και τών άλλων κερδῶν προνομίαν τὸ πληρῶν δι' οικείας ύποσημειώσεως τὰ πραττόμενα, unde redigere solet mille libras auri annuas. Haec narratio ut distributionis sportularum inter officiales aliquam notitiam suppeditat, ita a nostro edicto non tempore solum, sed re quoque abhorret; spectat enim ad officium praefecti praeforio et ad commoda non litium sola, sed alia quoque diversa.

⁴⁾ Theophilus inst. 4, 6, 24.

⁵⁾ *Postulatio simplex* legitur etiam in constitutione Severi (Cod. Inst. 3, 9, 1): *res in iudicium deducta non videtur, si tantum postulatio simplex celebrata sit vel actionis species ante iudicium reo cognita. inter litem enim contestatam et editam actionem per multum interest: lex enim tunc videtur contestata, cum index per narrationem negotii*

ostendit exceptoris chartaeque commemoratio), convenit cum iure ea aetate recepto. *Denuntiari*, constitutio ait Constantini magni¹⁾, *vel apud provinciarum rectores vel apud eos quibus actorum conficiendorum ius est decernimus, ne privata testatio . . . falsam fidem rebus non gestis adfingat*. Postulatio sive litis denuntiatio utrum fiat partibus praesentibus an absente reo, viri docti ambigunt²⁾; hoc edictum cum propter postulationem honorarium solvi iubeat non advocato, sed advocatis, illi sententiae magis favet, quamquam verum est, cum partibus liceret plures causidicos advocare, etiam alteram opinionem cum plurali numero posse conciliari. In postulatione quod advocati actoris partes necessario potiores fuerunt, reus adesse potuit aut tacente advocato ipsius aut adeo sine advocato, id non impedit, quominus advocato rei, si adfuit, in idem honorarium ius sit atque actoris; nam magis temporis respectu quam operae honorarium aestimatum esse consentaneum est. Gesta cum sollemniter duobus exemplaribus fierent, quorum alterum actori traderetur, alterum reo, pluralis in exceptores quoque recte quadrat.

Contradictione³⁾ apparet comprehendi quae defensionis causa reus item apud acta edit. Similiter in edicto Diocletiani de pretiis rerum c. 7, 12. 13 praestantur *advocato sive iuris perito mercedis in postulatione (denarii) CCL, in cognitione denarii mille*, neque enim nisi nomine differunt contradictio et cognitio. Ut secundum Diocletianum advocatus propter cognitionem quadruplum accipit eius summae, quae postulationis causa exigitur, ita ex edicto consularis Numidiae advocatus propter contradictionem duplum (5 : 10), exceptor plus duplo (5 : 12) accipit eius quod datur propter postulationem; chartae autem requiruntur in illa singulae, in hac quaternae. In contradictione cum advocati rei partes potiores sint, nihilo minus propter eandem quam supra tetigi causam actoris advocatus idem honorarium accipit.

Causa in urgente finienda cum ipsa interpretationem non requirat, quae nam eae causae fuerint, edictum non significat; sed cum propter eas semel tantum advocato retributio detur summis auctis (scilicet pro modis 5 + 10 accipit m. 15), verisimile est in his postulationem et contradictionem ita coniungi, ut una audientia lis finiatur.

Definita causa quid significet, ambigi potest; nam etsi in promptu est intellegi sententiam a praeside latam, id quominus admittamus plura obstant. Primum non video, cur, si de sententia Mariscianus cogitavit, sollemne voca-

causam audire coeperit aliaque Leonis Zenonisque (Cod. Iust. 12, 25, 4, 2) et Zenonis (Cod. Iust. 12, 21, 8, 4); etiam *πορεύεις ἡρωχία* Lydi (vide p. 638 n. 3) eadem esse potest. Illa quid significet disputat Wiedingius *der justinianische Libellprozess* p. 197. 209. Hoc edictum cum requirat quod simpliciter postulationi opponatur et vere praeter hanc alteram postulationem habeat, scilicet comprehensam causa in urgente finienda, verisimile est hanc postulationem simpliciter opponi.

¹⁾ C. Th. 2, 4, 2. Bethmann-Hollweg l. c. 3 p. 235.

²⁾ Bethmann-Hollweg *Civilprozess* 3 p. 235.

³⁾ *Contradictorii libelli* memorantur in constitutione a. 400 (C. Th. 2, 14, 1); *narrationem propositam et contradictionem obiectam* habet alia a. 530 (C. Iust. 3, 1, 14, 4).

bulum evitarit et bis aliud posuerit non admodum obvium¹⁾. Nec magis perspicio, cum quae pro tribunali in postulatione et contradictione gesta sunt, partes antea iam ab exceptoribus descripta acceperint, quomodo ob sententiam solam, ut admittamus huius quoque describendae sumptum ad litigatores pertinuisse, impensae tantae exigi potuerint, quantas edictum ponit. Sed omnium maxime me movet, quod ita in edicto plane desideratur, quid exceptori pro labore chartaque solvendum sit in causa urgenti. Quam ob rem crediderim verbis v. 39 *in definita causa* similibusque v. 44 respici ad ea quae praecedunt v. 31 *in urgente quae finienda sit* et supplendum esse cogitatione id quod est *in urgente*. Ita et defectus recte expletur et summae aptae efficiuntur; nam ut advocato in causa urgente tantumdem datur quantum accipit propter postulationem contradictionemque, ita exceptori pro modis quinque et duodecim solvuntur modii viginti chartaeque ei attribuuntur pro una et quattuor sex. Sententiae exemplaria ea aetate crediderim confecta esse sumptibus publicis; sane advocatorum honoraria et gestorum partium causa describendorum impensae magis proprie ad partes pertinent quam sumptus sententiae gratis redditae itaque meliore aetate etiam publico nomine gratis perscriptae.

De officio advocatorum exceptorumque causa nulla est cur hoc loco agamus. Chartam apparet exceptores litigantibus²⁾ ita suppeditavisse, ut earum quoque praeter operae pretium exigenter; quo iure ne abuterentur, edictum chartarum quae ad tria iudiciorum genera sufficerent numerum definit. Eius consuetudinis Lydus quoque meminit de mag. 3, 14, ita tamen, ut meliore aetate neget officiales miserabilia haec curavisse, immo lucidissimam chartam gratis suppeditavisse (τοὺς πάντων διαιδεπτάτους χάριτας ἐπὶ τοῖς πρακτομέοις ἀναλίσκεσθαι, ἀναλόγως ἐμπροσθέντων τοῖς κώτεσι τῶν γραφῶν); iam vero non solum chartae pretium a litigatoribus exigere officiales (χάρτην ἀπαιτεῖν οἱ τῆς τάξεως ὑποκείμενοι τοὺς πράττοντας) neque erubescere ipsos egenos factos

¹⁾ C. Th. 1, 6, 2. 1, 27 fin. 1, 29, 5 pr. 10, 1, 13.

²⁾ Chartam quae ad publicos usus requireretur cum haec, quam exceptores litigantibus privatis suppeditant, cave confundas. Illam ex antiqua ordinatione officiales quibus ea opus erat suis sumptibus videntur comparasse, ut aut propter id onus certam summam acciperent aut, quod magis crediderim, respectu sumptuum his officialibus merces congruenter aucta attribueretur. Ita beneficii causa si qua pecunia publica sic ad praesidem pervenisset, ut libere de ea disponderet, poterat *chartaticum quibusdam officialibus inde subscribere* (Dig. 48, 20, 6), id est beneficii causa eam ad chartam inde comparandam officialibus erogare. Posteriore aetate eo nomine officiales sportulas ab iis exigere solebant, quorum causa maxime acta publica fierent; ita in lege imp. Anastasii (Z. a Lingenthal in actis acad. Berol. minoribus a. 1879 p. 134 seq.) numerario et primicerio officii ducis Libyae singula castra militum castrensianorum λόγος χαρτατικῶν numerare iubentur annuos solidos VI, numeri alii ab eo onere immunes esse (pag. 1 v. 16—18, pag. 3 v. 20—23). Similiter Nicephorus Logotheta tributa ita auxit, ut ad singulos solidos ὑπὲρ χαρτατικοῦ adicerentur siliquae binae (Theophanes ad a. m. 6302; Zonaras 15, 14; Z. a Lingenthal in parte III iuris Graeco-Rom. sive Novellis p. 386 seq.).

minutas sportulas flagitare (χαλκὸν κάρτα μέτριον καὶ αἰσχρὸν εἰσπράττουσιν ἐξ ἀνεργείας), sed etiam chartam pessimam praebere (χρόστον — fenum — ἀντὶ χάρτου γραμμᾶσι φάυλοις καὶ πενίαν ὄξουσι ἐκδιδούσι). Eiulanti exceptori qui fuit et temporis acti vel potius sportularum exactarum laudatori ne fidem habeas, edictum Marisciani ostendit per duo certe saecula ante cantilenas illas scriptas chartarum partibus traditarum ab exceptoribus pretium exactum esse. — *Chartae maiores* ut hoc loco certum genus significant, ita apud Martialem 14, 10. 11 inter alia quae ibi alternant meliora et viliora duo quoque genera chartarum iuxta ponuntur *maiores* et *epistolares*. Latitudo paginae cum in papyris ita differat, ut duo genera sola per eam effici nequeant, papyri autem quae supersunt altae sint aut cent. 20—25 aut cent. 30—35¹⁾, recte appellabuntur minores illae, haec maiores. In generibus pretiisque papyrorum quamquam auctores ad latitudinem solam attendunt, ratio requirit, ut altitudinis quoque diversitas tam ad vocabula quam ad pretia non minus pertinuerit.

Venimus ad libellos. Libellensis cum idem et subscribendarius appelletur et regerendarius²⁾, omnino id potissimum curat, ut libellis quos privati magistratui tradunt subscribat se eos accepisse die illo; et convenit modica duorum modiorum in uno libello retributio. Hoc cave statuas qui haec scripsit iudiciorum eum duo genera distinguere voluisse, alterum per postulationem, quae verbis fit apud acta orante advocato, scribente exceptore, alterum per libellum scriptum a privato praesidi exhibitum et a libellensi subscriptum. Nam hanc iudicii ordinandi formam cum constet Iustianiani tempore obtinuisse³⁾, ad Iuliani aetatem num adscendat admodum dubium est, et edictum id ut statuamus nullo modo cogit. Sane Mariscianus vix cogitavit de libellis in universum praesidi exhibitis, sed hoc quoque caput ut reliqua omnia ad lites privatas pertinet; at etiam secundum vetustiorum formam earum non raro libelli offeruntur praesidi, ut appellatorii et refutatorii, neque quicquam impedit, quominus de his auctor edicti cogitarit.

Restat sportularum definitio non pecuniaria, sed frumentaria, primo ad spectu mira nec rediens quod sciam in ullo documento simili, sed rerum conditioni quae tum fuit legibusque plane conveniens. Postquam labente

¹⁾ Birt *das antike Buchwesen* p. 272. Idem vir doctus opportune admonuit me epigrammatum Martialis supra adlegatorum, de quibus ipse egit l. c. p. 74.

²⁾ Bethmann-Hollweg *Civilprozess* 3 p. 153. Is non video cur fidem neget Notitiae dignitatum Or. 37, 50 duci Arabiae attribuenti a libellis sive regerendarium; accedit quod nulli magistratui Notitia tribuit tam libellensem quam regerendarium, sed ubi hunc ponit, id quod facit in praefectis praetorio et urbis et in magistris militum, ducibus, comitibus partium Occidentis, ibi deficit qui est a libellis.

³⁾ Bethmann-Hollweg l. c. p. 198. 243. Illo loco quae adlegantur ex aetate anteriore exempla, vix recte huc trahuntur; exempli causa constitutio a. 412 C. Th. 13, 10, 6 = C. Iust. 11, 6, 5 cognitores memorans *libelli datione vel planaria interpellatione commonitos*, non agit de lite privata, sed de publico aliquo iudicio ob navem submersam.

aevo pecunia publica ex argentea aerea facta est nec denarius iam quid et adeo an valeret quisquam amplius norat, eius mali duo remedia invenit Diocletianus pecuniae re abolitae substituens modo pondus auri argentive, modo modium frumenti¹⁾. Scilicet ab eo inde tempore in publicis redditibus et largitionibus regnare incipiunt librae auri vel argenti, quae re ipsa multo latius patent quam vocabula perveniunt; nam solidus quoque et argenteus verus eius saeculi non sua forma valent, sed ad libram appenduntur et expenduntur²⁾. In stipendiis autem et mercedibus publice solvendis altero praeterea remedio imperatores usi sunt, ut militi omnis ordinis quidquid debebat tam aerarium quam publico nomine privatus, non ad denarium determinaretur, sed ad annonam et capitum, id est ad frumentum et fenum. Id cum ipsum non ignorent ii certe qui huius saeculi instituta discere maluerunt quam aspernari, tam late rem patuisse, ut ex ipsis privatorum sportulis pecunia tolleretur, sane novum est et scitu omnino dignum³⁾. Tempore quoque inter documenta, quae frumentum pecuniae loco subditum esse ostendunt, nullum quod sciam superest quod hoc edictum praecedat, videmurque accuratam imaginem hic tenere observantiae annonariae, qualem Diocletianus Constantinusque instituerunt. Scilicet eligit is cui solvendum est, utrum ipsum frumentum sibi dari velit an frumenti pretium, id nimirum, quo frumentum tempore solutionis Romae in foro rerum venalium aestimabatur⁴⁾. Nam a foro eo pretii determinationem vel, ut proprio huius saeculi vocabulo utar, adaerationem pependisse leges complures ostendunt⁵⁾. Valentinianus et Valens, moti opinor eo quod ita stipendium singulis militibus officialibusque solvendum quotidie mutabatur et annonae urbanae vi-

¹⁾ Sciscitanti mihi per Boeckhium nostrum, annon apud Francogallos moneta vera per turbas eorum civiles pariter sublata similes dispositiones aliquamdiu obtinuerint, M. Block hodie Parisiis degens respondit vere per aliquod tempus salaria ad frumentum numerata esse, citans inter alia constitutionis anni III c. 173: *Le traitement de chacun d'eux* (agitur de quinqueviris rei publicae administrandae) *est fixé, pour chaque année, à la valeur de cinquante mille myriagrammes de froment.*

²⁾ *Röm. Münzwesen* p. 835.

³⁾ *Die Vortheile*, ait Bethmann-Hollweg *Civilprocess* 3 p. 140, *die die Officialen der Magistrate für ihre Bemühungen zogen, bestanden theils in öffentlicher Besoldung, das heißt in zu Gelde angeschlagenen Naturalien* (annona und capitus), *theils in sehr bedeutenden Sporteln.* Illud verum est; iam autem apparet sportulas quoque aliquamdiu eodem modo persolutas esse.

⁴⁾ Neque in hoc edicto neque in altero Diocletiani de pretiis rerum (c. 1, 1) frumento determinatio adicitur, sed unum pretium apponitur. Itaque intellegitur frumentum mediae, non eximiae bonitatis.

⁵⁾ C. Th. 7, 4, 10 a. 364: *Protectores fori rerum venalium iuxta veteris moris observantiam in annonarum suarum commoda pretia consequantur* (ubi iunge fori pretia). l. 32 eod. a. 412: *per cornicularium cuiuscumque provincialis officii hanc sollicitudinem impleri conveniat, ita ut . . . eorum ex titulo manifesto eidem delegatum . . . suscipiat, etiam pretium his qui adaerare voluerint depensurus iuxta murationem, quae aut foro rerum venalium continetur aut amplissimae praefecturae est culmini deputata.* Similiter ibidem l. 28. 36 et 8, 4, 19.

cissitudines hoc modo ad universas provincias propagabantur, generali lege militum gregalium annonas capitique ita adaerantur, ut vere ad pecuniam rursus redigerentur¹⁾; id quod ad sportulas quoque pervenisse credibile est. Eae autem annonae, quae maioris gradus militibus praesidibusque solvebantur, vetusto more, scilicet ad pretia fori urbani²⁾, adaerantur usque ad Theodosium secundum. *Omnibus, edixit is a. 439³⁾, tam viris spectabilibus quam viris clarissimis qui per provinciam sive militarem sive civilem administrationem gerunt . . . in praebendis solaciis annonarum hic fixus ac stabilis servabitur modus, ut ea pro annonis et capiti dignitati suae debitis pretia consequantur, quae particularibus delegationibus solent contineri.* Ab eo inde tempore *delegationibus particularibus*, scilicet formis ad singulas provincias directis, unicuique magistratui officialive non solum certus numerus annonarum et capituum adscribi coeptus est, sed item eorum adaeratio solidis expressa⁴⁾; id est restituta interim moneta iam universa administratio retentis vocabulis re ad solutionem pecuniariam rediit frumentaria sublata. Haec qui recte intellexit, dico adfrumentationem (si venia est verbo) pecuniae et rursus adaerationem frumenti, simul monetae Romanae et ruinam et restitutionem animo comprehendet.

Modii ubi primum nominantur, significatur intellegi Italicos; nam *Italic[os] tritici modios* in lapide fuisse, non, ut proposuit Schmidtus noster, *Italic[i]*, efficitur ex constitutione a. 445 (nov. Valent. III tit. 18, 4): *iubemus inferri . . . tritici ad singulos solidos Italicos modios XL et carnis pondo CCLXX, vini sextarios CC.* Neque adiectio abundat; nam praeter vulgarem apud Romanos hac aetate castrensem modium in usu fuisse ostendit edictum Diocletiani non semel ad eum pretium determinans. Italicum

¹⁾ C. Th. 7, 4, 22. 23. 29. 36. Haec lex anni 424 optime illustrat statum diversum qui tum obtinet adaerationis in militibus et in praesidibus ducibusque: annonae quae a dignitate non pendent adaerantur secundum formam perpetuam annonarum universis militibus sollemniter attributarum, eae autem quae a dignitate pendent adaerantur secundum pretia fori rerum venalium. Unde item intellegitur cur protectoribus (C. Th. 7, 4, 10 a. 364) et primipilaribus (C. Th. 8, 4, 19 a. 396) ius tribuatur annonarum ad pretia fori urbani adaerandarum; scilicet exaequantur ita dignitatibus.

²⁾ Abusum, ut pro certo numero capituum certum pondus auri exigeretur, modo pro CXX, modo pro LX, modo pro XIII capitibus solidi singuli, reprimit constitutio a. 412 C. Th. 7, 4, 32.

³⁾ C. Iust. 1, 52, 1. Post *clarissimis* delevi vocabulum *iudicibus*.

⁴⁾ De his documentis optime exposuit Paulus Krueger *Kritik des justinianischen Codex* p. 150 seq.; sed quae de vicibus generibusque adaerationis scripsit, mihi non probavit. In formis relatis in codice Iustinianum annonae singulae quinque solidis aestimari solent; at in constitutione Valentini III de Numidia et Mauretania Sitifensi (novell. Valent. III tit. 18 c. 3) quaternis, nec dubium est secundum tempora et loca adaerationem diverso modo factam esse. In edicto Iustiniani de duce limitis Libyae (edict. 13 = const. 96 ed. Lingenthalianae c. 18 pr.) distinguuntur annonae et capitum *ἐν αἰῶνι* et *ἐν χρυσῷ* et diversa ratione utriusque adaerantur; sed cum summae proponantur coniunctae, de taxationis modo parum liquet, neque ipsa diversitas satis elucidata est.

autem modium eum esse, qui apud Romanos generaliter obtinuit, periti omnes norunt¹⁾.

Sportularum taxationem ipsam aestimare arduum est, nec inter nostri commentarii fines ea res continetur. Diocletianus in edicto de pretiis rerum venalium operario rustico pasto solvi iubet diurnos denarios XXV²⁾, advocato, ut supra vidimus, pro postulatione denarios CCXXV; idem speltae mundae, cuius pretium probabile est a frumenti non multum recessisse, castrensem modium, qui videtur aequare modios vulgares duos, emi iubet denariis C. Hi numeri cum taxationibus Africanis comparari poterunt. Comparari item potest, quod collega optimus Richardus Boeckh quaerenti respondit, modium Italicum (= litr. 8.75) ut aestimes nostra pecunia marca 1.94 ad 1.31³⁾, pro postulatione advocato solutas esse m. 9.69 ad 6.56. E contrario quod modo memoravimus in constitutione anni 445 tritici modios XL solido aequiparari, si ad haec referre licebit, solidus (pendens gr. 4.55) cum faciat fere pecuniae nostrae marcas 12.7, pro postulatione soluta est marca fere una cum dimidia. Quod significat Ammianus (28, 1, 18) in narrandis rebus gestis in Africa a. 368 modium tritici in vilitate emi solidi parte tricesima, in caritate solidi parte decima, eo parum adiuvamur; fit autem pretium quinque modiorum secundum illam computationem marcarum fere duarum, secundum hanc marcarum circiter sex.

¹⁾ Errat Doerpfeldius (*Mith. des arch. Inst. in Athen* vol. 8 p. 352) censens Italicum pedem, eum scilicet quem auctores aetatis imperatoriae maxime Graeci eo nomine appellant, differre a Romano. Africanus *περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν* ex recensione Duchesnii (*mémoires sur une mission au mont Athos* p. 185) eum ait: τῆ Ἀπτικῆ (ἄραχυῆ) χρεστίων . . ἐπίπερ ἰσοδύναμος ἔστιν καὶ ἰσοστάσις; τῆ Ἰταλικῆ, ἣ καλῶνται θηγάριον, vix cogitavit de stateribus Campanis.

²⁾ Operarius rusticus hodie in Italia in provincia Comensi accipere solet aestate liras 2, hieme liras 1.50 diurnas. Apud nostrates operae rusticae raro ad marcas singulas diurnas adscendunt.

³⁾ *Der Preis des Doppelcentners schweren Weizens*, scribit Boeckhins, *schwankte 1875 bis 1881 in Berlin zwischen 18.28 und 26.68 Mark: nimmt man für das Gewicht des Hektoliters durchschnittlich 83 Kilogramm, so ergibt sich für den Modius ein Preis von 1.31 bis 1.94 Mark. Nach den mir von der statistischen Generaldirection in Rom gefälligst mitgetheilten Angaben schwankte in denselben Jahren der Hektoliter Weizen (frumento gentile) in Verona zwischen 26.17 und 19.25, in Florenz zwischen 30.08 und 22.84 Lire Gold: danach stellt sich für den Modius der Preis nach den Veroneser Ansätzen zwischen 2.29 und 1.66, nach den Florentiner zwischen 2.63 und 1.97 Lire Gold oder dort zwischen 1.85 und 1.34, hier zwischen 2.12 und 1.68 Mark.*

ADDITAMENTVM AD OBS. XXXV

(supra p. 121)

DE PROTECTORIBVS AVGVSTI.

In laterculo quem dedi p. 121 seq. protectorum Augusti ad n. 4 addi debuit suppluisse Borghesium opp. 8 p. 138 [*Maxen*]ti Aug. Sed praefero supplementum inventum a Bormanno.

In adnotatione ad n. 28 p. 123 signa duo $\overline{\text{P}}$ et $\overline{\text{K}}$ errore permutata sunt legendumque: monogramma sic formatum $\overline{\text{T}}$ (non forma Treveris vulgari $\overline{\text{K}}$) frequentari coeptum a medio saeculo V.

Addendi sunt ad laterculum cum tituli hi:

54. Fl. Gaudentius v(ir) d(evotissimus) p(ro)t(ector) l(ateris) d(ivini) et Honorata coniux d(e)p(osi)t(a) n(onis) Sept(embribus). — Romae ad viam Salariam rep. non loco antiquo. Edidit lapide expressum Rossius noster *bull. della comm. arch. munic.* 1 (1873) p. 51 tab. 3, item *bulletino cristiano* a. 1873 p. 32. Titulus, cuius idem amicus me admonuit, cum sit saeculi fere quarti, notabile est plenam vocabuli formam etiamtum reperiri (v. p. 126).

55. Fl. Iulianus ex pro[t]ectore et ex praepositis. — Salonis area rep. a. 1880. Glavinic *bull. Dalmato* 6 (1883) p. 83 (inde Frankfurter apud Hirschfeldium *arch.-epigr. Mitth.* 8 p. 117). Traditur PROECTORE. Mira est numerorum inconstantia, cum pariter scribi potuerit aut *ex protectoribus et ex praepositis* aut *ex proectore et ex praeposito*.

Commemorari item debuit titulus urbanus adservatus in museo Vaticano (Mur. 372, 1 = Borghesi opp. 8 p. 409), iam mea causa recognitus ab Huel-seno, qui ectypum misit, hic:

miravili benignitate | adquae innocentia cum
 | M. Aur. Val. Surule Antonin . . . | Iulius
 Iason maritus et Val. . . . [protector] | d. n. Maxenti
 Aug. et Val. Antoni

quamquam neque tituli tenor satis elucidatus est nec certum quod supra posni supplementum a Borghesio (l. c. p. 438) commendatum.

Calami error quod p. 127 v. ultimo Severum posui pro Philippo vel Decio peritum non morabitur.

Ad domesticos, quos composui p. 141, accedunt quos papyri Ravennates (quarum admonuit collega Brunnerus) saec. sexti septimique nominant certis numeris adscriptos, ut in n. XCII Marini nominatur *Iohannes dom(estic)us num. Dac(or)um?* (in fine scribitur *diac.*); n. CIX *Sergius domestic(us) num(eri) Armeniorum*; n. CX *...tinus v. c. dom(esticus) num(eri) fel(ici)um Let(or)um?*; n. CXI *Apolenaris v. c. dom(estic)us num(eri) inc(ictorum)*.
